





6

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
PUERPERARUM
AFFECTIBUS,

Quam,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORA-
TUS BRANDENBURGENSIS HEREDE,
&c. &c.

CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,

Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris
sui, omni observantia cultu prosequendi,
PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia
DOCTORALIA rite & legitime capeffendi,
Ad Mart. Anno M. D. CC IV. Horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
publicæ disquisitioni exponet,

JOACHIMUS COBERUS.
Pritzwalcensis Marchicus.

HALÆ MAGDEB. Literis CHR. HENCKELII Acad. Typogr.

V I R O
ILLUSTRI, PRÆNOBILISSIMO atque EXCELLENTISSIMO
DN. SAMUELI
STRYKIO,
S. REGIÆ MAJ. BORUSS. ET E-
LECTOR. BRANDENB. CONSILIARIO INTIMO,
PROFESSORI PRIMARIO ET FACULTATIS
JURIDICÆ ORDINARIO,
DN. PATRONO AC MOECENATI SUO SUBMISSE COLENDO,

nec non
V I R O
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO,
DN. GOTOFRED.
COBERO,
CIVITATIS PRITZWALCIÆ IN
MARCHIA PRIGNICENSI SITÆ CONSULI
MERITISSIMO,
*PARENTI MEO FILIALI OBSERVANTIA AD URNAS
USQUE PROSEQUENDO*

Specimen hoc Inaugurale
In debiti Honoris Gratitudeisque signum cum voto
felicitatis sanitatisque perpetuæ, submisit

offert ac dedicat
JOACHIMUS Cober.



PROOEMIUM.



LEpida est, sed sub cortice suo sapientiam insignem comprehendens, sive fabula, sive narratiuncula, quæ de Xantho Philosopho, & Aesopo famulo eius, vero autem Philosopho, memoriæ mandata est; quod nempe Xanthus ebrius, mare sese epotaturum pollicitus, imò arrhabone dato oppignoratus, Aesopi prudentia liberatus sit: jussus nempe ab hoc præsupponere, quod mare exhaurire pollicitus, non teneatur ad omnia flumina, quæ in mare decurrunt, simul absumenda &c. Quo quidem postulato, sine dubio adversariis suis visus est dicere, quod, si omnes fluvii cohiberentur, mare fortè nullum futurum sit: cum, de crasso sensu, adeoque ut ajunt *κατ' ἀνθρώπων* loquendo, fluvii quidem manifesta sua effusione in mare, hujus potius matres esse apparent, quam ipsum mare directe fluvios formare aut sustentare. In genere autem sine dubio ex hoc postulato conficere integrum est, quod nihil facilius atque certius tollatur ac auferatur, quam si fontes atque radices

A 2

ejus

ejus obstruantur aut exhauriantur: Ita enim demum funditus ut ajunt, rem ipsam eradicatoriam, & destructam esse impostero, sanæ rationi indubium fuerit. Valet hoc tanto magis in ejusmodi subjectis, quæ non tam in immanente ut loquuntur quadam constantia & duratione consistunt, quam emanante quodam concursu aliarum causarum sustentantur, adeoque in ipso successu perpetuo consistentia, successus istius ablatione, non possunt non simul auferri. Ne altius diffundamur, dicemus potius statim illud, quod nostri est fori, quod nempe hæc consideratio dignissimum locum sibi poscat in corporis humani tractatione. Cum enim hoc quatenus vivit, & ulli usui, quotusquisque ille tandem fit, inservit, absolute in meris progressibus atque successibus versetur; ita ut in illo nihil proprie dici possit, esse aut manere, sed omnia & singula magis solum intelligenda sint fieri, redire, reverti, novis factis sustentari atque restitui: Habet proinde in corpore ita constituto non solum tanto majorem, sed omnino velut unicam præcipuam efficaciam, illa interceptio communicationum, ad destruendos actus: & conservatio atque restitutio earundem, ad illos sustentandos. Quoniam autem hæc constitutio, corpori humano generaliter & absolute essentialis est; fieri aliter non potest, quin in illo ita jugiter perennet, ut, nisi plane destructo illo, minime cesset: adeoque non solum in statu ejus naturali, sed etiam præternaturali jugiter valeat atque vigeat, nec tam objecto quam subjecto tantum & materia substrata, eximie variet. Sicut autem pro rebus, quæ à se mutuo pendent, & ut non incommode loquuntur, fluunt, intelligendis, præcipua necessitas est, nexuum

xuum atque dependentiarum harum veram seriem recte scire, hac vero neglecta, omnis labor est irritus: ita profecto in Medicina, si hi rerum nexus non recte in animum admittuntur, omnem reliquam volutationem atque versationem omni successu destitui, non modo nihil mirum est, sed potius necessarium. Quamlibet autem magnus numerus rerum hujus indolis, imprimis in læsionibus corporis considerandis, seu Pathologia Medica, occurrat; affectuum, inquam, & effectuum, concatenata serie causandi atque fiendi à se invicem pendentium: dolendum tamen verius est, quam admirandum, quod harum rerum vix quicquam ita, uti quidem decebat, exquisitè, commode consideretur aut tractetur; sed loco veri imò evidentis nexus, longe plures vagæ dissolutiones ibidem oberrent. Cum vero sine methodo cognoscendi, nulla etiam esse possit vera atque solida methodus curandi, non possunt hæc incommoda atque defectus fieri & vigere, nisi cum certissimo, non solum scientiæ, sed usus imprimis atque praxeos, detrimento. Cum mei quidem humeri præsentem loco atque tempore non ferant illud oneris, ut latius diffundar in hujus latissimè patentis materiæ ambitum, placuit tamen aliquod ejus generis exemplum, pro Thematate Speciminis Inauguralis assumere; nempe **AFFECTUS PUERPERARUM** ita pertractare, ut exquisitè causas illas & respectus servem ac observem, secundum quos puerperis quatenus talibus eveniunt: & quomodo ad proprium suum locum remissa, reliqua generaliore tractatione, proprie ad & juxta hunc intuitum, administrari debeant, sententiam meam exponam. Cum enim non docere, sed documentum solum doctrinæ

quam edoctus sim, exhibere, mearum jam sit partium; illa quidem, quæ sentiam aperire, & rationes ita sentiendi, expromere, mihi sufficere potest: Interim cum etiam quæ in hoc genere didici, vera, solida ac usu salutaria esse, non magis sperem aut confidam, quam intelligere etiam mihi videar, vera quidem mea quoque facere, meum erit, minime vero quasi & in quantum mea, pro veris venditare. Adsit mihi Veritatis & omnis Salutis Fons, Deus Benedictus, ut non solum vera verè assequi ac obtinere, sed etiam usu illorum potiri, imo ut veris, ad communem etiam usum illis defungi possim, quod supplicibus precibus exoro.

S E C T I O I.
Descriptionem & divisionem affectuum puerperarum comprehendens.

PUERPERIUM toto suo ambitu ante omnia complectitur ipsum *Partum*. Siquidem ille non solum initium est totius negotii, quod *puerperium* vocare solemus; sed etiam propriè illa ipsa post sese relinquit, imò veluti producit, præcipue verò variè alterat, pro vario sui successu, quæcunque graviora, succedente tempore, ingruunt ac eveniunt.

PARTUS enim avellit & excutit ab utero *placentam uterinam*; quæ foetus cum utero ita connexus est, ut reciprocè subtilissimæ vasorum sanguiferorum extremitates, ex utero in placentam & ex hac vicissim in illum, efformatæ, hac avulsione disruptæ, *transudationem* utique insignem *sanguinis* post sese trahant; donec successiva uteri in debitam suam angustiam,

am, contractione, intercurrentia hæc tam subtilia vascula, quin capaciores omnino illorum trunci, sensim opprimantur.

Neque verò etiam ex *orificio uteri*, partus violentia repentina vehementissime expanso, sive qualicunque anastomosi sive aliquilibus fissuris, aliquid fluxus sanguinolenti succedere, dubitandum est.

Ex his quidem partus effectibus, *Lochiorum* fluxum posthac pendere, & mediate, quicquid huic ultra supervenire solet, nemo dubitat. Imo ipse etiam *labor* partus, atterit, ad minimum tantisper, vires, & fatigatam relinquit puerperam.

Sunt verò etiam insuper in ipso partu, directè, ejusmodi incommoda, quæ, si impeditiùs succedant, veluti seorsim affectus tales formare solent, qui etiam citrà alios succedentes, vehementer affligere possint parturientem; tanto magis autem ad subsequentiã solita incommoda, plus ponderis adjicere. Unde quidem ipsum etiam partum puerperio includere æquisimum videtur, quod etiam ita faciemus.

Placet autem tanquam præliminariter & de superfluo, monere, quod ad justum & legitimum partum ante omnia requiratur justa ratio atque mensura *temporis*; quo ille legitime evenire possit atque debeat. Non erimus autem hic prolixi, circa illam considerationem temporis *generalioris*, *septimi, octavi, noni*, mensis; de quo in genere dixisse suffecerit, quod utique experientia constans illud confirmet, quod *septimestris* quidem foetus, *vitalis* esse, i. e. *vivax*, observetur: interim revera rarissimo (in comparatione ad solenne tempus) suo proventu, satis testetur, quod non, nisi extra consuetum atque debitum naturæ ordinem, obtingat. Sicut etiam revera illi *septimestres* infantes, qui magis indubio ejusmodi partu (post alia jam puerperia), in lucem editi post hæc à nobis conspecti sunt, peculiari teneritudine, atque manifesta præ aliis infantibus infirmitate, facile distinguendi comparuerunt.

Tanto

Tanto magis autem confirmat quotidiana experientia adhuc longe rariorem eventum, partus vere & indubie *octimestris*; unde quidem de illius vivacitate atque reliquis circumstantiis, tanto minus firmi quidquam & constantis colligi aut decerni posse ratio dicitur.

Nonimestris autem partus, ne ipse quidem *promiscue* in quodlibet noni mensis tempus incidit; sed respicit potius *exitum* hujus mensis, & *decimi* initium. Unde quidem è reliquis hujus generis, præcipuè majoris certitudinis computis, primo loco stare meretur observatio illa *dimidii temporis gestationis*, ubi infans in utero motum exferere sentitur; quod consuetis ordinariis exemplis in septimanam *vigesimam primam* communiter incidit. Unde ab illo tempore ferè securissime computus reliquus instituitur, ad alteram medietatem, nempe *quadragesima unam* aut duas circiter septimanas. Sub quarum finem partum evenire solere, experientia confirmat ita familiaris, ut disparis eventus exempla, si ad hæc referantur, quæ dicta ratione fieri solent, immenso quasi numero ab his superentur. Præstiterit potius de *strictiore* tempore partus illud dixisse, quod *commode* atque utiliter, imo vero reliquis rebus examusim bene constitutis *nunquam*, aliter hoc evenire soleat, quam ea *luna phasi*, qua prægnans alioquin *menstruas* suas evacuationes experiri consuevit. Et hæc quidem circumstantia ita solenniter stata atque vera observatur, ut in illis, quæ *certiore ordine* secundum insignes *luna* mutationes, evacuationem menstruam experiri consueverunt, tempus pariendi ab illa eadem phasi minime omnium aberret: Imprimis, quando versus summam mutationes, *novilunium* aut *plenilunium* excretio illa fieri consuevit. Interim proximi *plenilunio* partus, familiarius difficillius succedunt: sed & vere minus frequentes eveniunt, imprimis in *junioribus*: siquidem has magis, & imprimis melius, *decrecente* luna, aut à *novilunio*, purgari, non vana aut commenticia est observatio.

Quo

Quo magis itaque pariendi tempus, *menstruo* tempori consueto sese accommodat, eo meliorem etiam successum per omnia pollicetur.

Quod vero actum partus ipsius attinet, comprehendit ille sub sese *primo* ipsosita dictos *dolores*, ad partum; *spasticos* nempe motus uteri, ad excutiendam molem contentam, *foetum* nempe, cum *secundinis*. *Secundo*, debitam orificii uteri expansionem: *Tertio* tempestivam *secundinarum* rupturam, & liquaminis contenti effusionem: *Quarto* foetus ipsius iustum *situm* ad exitum: *Quinto* exitum ipsum satis *tempestive* absolvendum: *Sexto* *secundinarum* successum non solum liberum, sed etiam *Septimo*, satis *tempestivum*.

Non placet interim, neque nostri instituti proprie est, singulas has res penitus, & omnibus respectibus excussis, pertractare; sed sufficit illum earum respectum tenuisse, quâ ipsi puerperæ laborem, periculum, aut damnum minari possunt.

Hoc intuitu solent *primo*, *dolores* ad partum, perperam fieri, quando vel 1) *deficiunt* in iusta sua energia; nimis parci, & *vari*: aut satis quidem crebri, sed *breves* & *volatici*, eveniunt: vel 2) mox per initia crebri & breves, magis magisque, ubi major ipsorum expectanda erat energia, faciunt ac deficiunt: maximè omnium 3) tempore, necessariorum *ultimorum* nisuum consumpta velut omni energia, cessant ac emanent. 4) Est etiam tale, falsorum ut appellant, & *notborum dolorum* sub partu tormentum, quod pessimè quidem habeat puerperam, fatiget, & debilitet, interim ad summam negotii nihil proficiat: 5) considerandus etiam venit utilis, & subinde necessarius, concursus, generalium illorum *voluntariorum* nisuum, quibus per abdominalis compressionem & spiritus cohibitionem, foemina parturiens, non quidem ipsam exclusionem foetus *directè* perpetrare, aut sine adjumento verorum partus dolorum seu spasmodum, illum elidere valet; reverà tamen iustis atque

veris partus doloribus, hac ratione ita efficaciter *succurrere* potest, ut non solum energiam illorum eo ipso adjuvet, imò veluti intendat: sed etiam proprius illorum dolorum, nisus, citrà hunc concursum longè difficilior solus seorsum sufficiat: certissimè vero, nisus hujus *voluntarii* contrario ac *perverso* usu & moderamine, directi illi dolores ad partum facillimè admodum perturbari possint. Quale quidem (6) est satis notum fœminis, quando perpetuis intempestivis æque ac immoderatis *ejulatibus* & *quiritationibus*, vel etiam inauspicatò intercurrente *tussi*, efficiunt, ut loco directionis ad *inferiora*, ad orificium, inquam, & exitum uteri, spasmus illi vago & volatice motu distrahantur, imò diffundantur generalius; reverà versus *superiora*, ut *cephalalgias* vehementes puerperæ inducant. Quod vulgo eloquuntur, die *Wehen* ziehen sich in die Höhe / steigen in den Kopff zc. gehen nicht auff das Kind zc.

Secundum locum assignavimus *reserationi* orificii uteri. Quæ nimirum antequam debitè facta sit, frustra est spes debitè successuri partus. Unde quidem prudentes obstetrices de eo ante omnia interrogandæ sunt, an uterus sufficienter pateat, ob sich der Leib gebührend geöffnet / und die Frucht eingetreten sey. Antè hoc enim tempus, non solum frustra expectatur partus successus; sed offendunt hic familiarissimè præmatura sua sapientia mulierculæ puerperæ assistere aulæ, dum antè hoc tempus immaturè, à puerpera irritos connisus & labores ad partum exigendo, meticulousiores, adeoque ad omnia imperia paratas, non solum viribus incassum prodigendis enervant: sed etiam tanto magis irritis his anxiiis laboribus, ad exæstuandum quidem corpori: dum autem nihil succedere potest, ad trepidandum & anxie timendum, animo parturientis, frivole occasionem præbent.

Imò vero, fit certe non ita rarò, ut ipsis illis præmaturis conaminibus, omninò vires, si non exhaustæ, tamen alio

alio infumptæ, veros illos atque justos motus spasticos; quos vulgò dolores ad partum appellamus, non exequantur; unde quo maximè tempore expectari debebant, vel emanent, vel ad minimum non sufficiente energia sese sistunt.

Tertium quod attinet, verum hoc omninò est, quod adedò attendi debeat uteri illa debita reseratio, orificiù inquam ejus dilatatio, ut antequam illa sese sistat, & dolores reliqui, & omnis nifus voluntarius, supervacuus sit & irritus, nempe ad ipsum partum directè perpetrandum. Omninò verò efficiunt hanc ipsam uteri reserationem, illi primi spafmi; qui nempe à fundo uteri versus orificium instituta contenti fœtus pressione, hoc ipso reserationi huic velificantur.

Hæc uteri reseratio, quando facta est, imò magis magisque augetur, ferium tunc esse expectandi partus maturiorem successum, nullum amplius est dubium: ex aduerso verò antequam hæc apertio sese sistat, & dolores reliqui intempestivi sunt, & magis pro simplicibus, ut vulgò loquuntur, *nothis* doloribus habendi: & omnis expectatio, nondum tam ad partum, quam demum ad hujusmodi intermedios demum actus, dirigenda est.

Breviter, quando *diuturniores* dolores, nihil tamen ad hanc *reserationem* proficiunt, partum tunc, aut certe promptum atque facilem, expectandum esse, nemo sibi concipere debet.

Quarto loco nominavimus, fœtus justum *suum* ad exitum. Ubi nempe jam olim rectè monuit Aristoteles, quod naturaliter *omne animal nascatur in caput*; Capite videlicet, primùm in auras vitales exeunte. Ethic situs etiam *humano* fœtui naturalis est ad exitum facilem; quicumque verò ab hoc divertit, magis magisque impedit exclusionis promptitudinem.

Interim reverà etiam subinde justissimum locum habet cautio illa, ne imprudentiores obstetrices, judiciù secundùm

taſtum inſtituendi minùs compotes, falſo accuſent non ſolum, ſed etiam temerè corrigere fatagant, juſtum etiam, foetus ſitum: cujuſmodi exemplum plus ſimplici vice, etiam in ſua ſolum praxi ſibi occuſiſſe, affirmat Dn. D. Præſes; dum videlicet obſtetrix, ſemel humeri cum axilla præſentiam in oriſicio uteri aperto cauſata; alia nates plane; alia ventrem circa ſcrobiculum cordis &c. advocata peritiore, nihil niſi caput infantis rectè & ordine præſto eſſe deprehenſum eſt: & proinde etiam partus, in quem ſtolidarum illarum mulierum traditione, dolores & labores debitos impendere, tam puerpera quam aſſiſtentes metuebant, non multò poſt rectè atque commode evenit.

Interim in hac etiam parte aliquando, rarius tamen per divinam gratiam, verè ſitum hunc perperam deſſectere, minime falſum eſt.

Specialiſſimus autem *immediatus* ad partum ſitus foetus eſt, ſi uteri apertura tantum proceſſerit, ut convexitas capitis jam non ſolum immineat, ſed quaſi quadantenus *promineat*: vnde noſtrates dicunt: Das Kind ſey recht eingetreten. Hoc enim ſi ita factum eſt, quodocunquè vegetiores & conſtantioreſ uteri ſpaſini ſuccedunt, & ipſa puerpera illos non temerè fruſtratur, procedit alacrius totum negotium; ita quidem, ut alicubi altero aut tertio vividiore ſpaſino, totus foetus ſuccedat, quamvis uno aut altero, interdum ſolum levis progreſſus contingat, quod obſtetrices indicant per vernaculum: Die Frucht rucke herbey &c.

Vnde quidem *quinto*, tunc temporis maxime cohortari ſolent puerperam, ne temerè deficiat, & energiam debitam ſpaſinorum ſeu dolorum partus fruſtretur.

Quod quidem partim *privativè* facere poteſt, ſi ſuccurrentibus doloribus nullo penitus niſu ſubveniat; *poſitivè* autem, ſi veſejulatu ſterili, loco *cohibendi ſpiritus*, ſpaſinorum illorum maturiori veluti diſperſioni locum præbeant: vel cohibitum quadantenus ſpiritum citò elidat: vel ſitum corporis

poris impatienter mutet: omnia, inquam, hæc, quando fœtus jam jam ita imminet exitui, ut retrocessio metuenda sit, facile illam producant; ubi novi dolores demum, in hunc statum restituere debent fœtum, è quo jam ante præfente, illum potius eximie ulterius promovere, adeoque ad absolvendum potius partum conferre potuissent, cum hac ratione quasi iterum de integro incipiendum sit.

Interim, *Sexto*, frustra est partum sperare, antequam *secundina rupta*: humorem suum contentum effuderint. Si- cut etiam imperitia esset, ab obstetrice judicium de situ fœtus exquisitum expectare, antequam hæc *secundinæ ruptu- ra*, & humoris hujus effusio, facta fuerit.

Debet tamen legitimè hujus etiam rupturæ *spontaneus* eventus expectari, neque habet ibi locum stolidæ audaciæ temerariarum quarundam inter obstetrices fœminarum, *aci- cula* aut *unguibus* secundinam aperiendi: *spontanea* enim ejus ruptura latè dehiscit, adeoque justum fœtui exitum præbet: qui sub nuda emissionè aquei illius cramatæ non pariter evenire potest,

Postquam autem hæc omnia rectè atque ordine facta sunt, superest, ut *partus* strictissimo sensu nempe ultimus in lucem exitus, rectè pariter eveniat.

Quod quidem ut prosperè succedat, opus utique est spasmorum dehinc emicantium, supradicta illa provida ad- ministræone, imò connisû ulteriore, moderatiore tamen, pro viribus.

Facit autem, imprimis ad ultimum hoc ipsius ultimæ exclusionis negotium, puerperæ tolerabilius reddendum, imprimis, si sub ipsa regione incipientis ossis sacri, susten- tetur quocunque fulcro. Unde quidem etiam suppositio manus validior, qua juxta hanc ipsam regionem leviter sur- sum seu antrorsum tollatur puerpera, magnum levamen ipsi afferre solet, ut ex multiplici observatione annotat Dn. D. Præ-

fes: imo ipsa etiam ratio & penetratio situs abdominis & uteri, conceptui facilius hoc reddunt.

Ita quidem succedentibus commodè omnibus his rebus, rumpuntur primo loco *secundine*, & effunditur ita liquamen illud, quod in ipsis continetur: succedit deinde partus ipse, nempe *foetus* erumpit, *funiculo* tamen *umbilicali* adhuc cum secundinis connexus manens, unde ipsarum etiam *secundinarum* matura exclusio paulò post expectanda est.

Sequitur etiam hæc, si cætera sint paria, satis tempestivè æque atque commodè; repetitis tamen, licet ferè levioribus *doloribus* ut vocant, sive *spasms* uterinis: quos etiam puerpera leni *tussi*, tanquam repentina quadam concussione abdominis & uteri, supernè facta, adjuvare potest ut exclusio illa tanto felicius succedat.

Ita quidem, dum omnia hæc rectè atque commode succedunt, solet obstetrix tantisper ipsum infantem in gremio suo, linteis aut culcitrīs bene calentibus involutum servare, & a secundinis jam subsecutis separare; ita, ut funiculum umbilicalem ad largæ spithamæ longitudinem a corpore foetus versus secundinas, refecet; sanguinem etiam è funiculo prius leniter versus & intrà corpus foetus reprimat, & ante sectionem funiculi extremitatem filo constringat: tandem autem etiam propius circa abdomen foetus, ad largi pollicis aut duorum transversorum digitorum largiusculam mensuram, novam ligaturam instituat, & dènique supposito mundo sicco linteolo, funiculum hunc spiraliter compositum, peculiari fasciâ obliget. Sed in his ad infantis recens nati, non puerperæ, necessitudines pertinentibus, non jam convenit diutius immorari.

Imo verò interest quam maximè, ut, dum utique infanti prospicit obstetrix, matris puerperæ non obliviscatur. Ubi quidem non solum sub ipso labore partus, providè ca-

ven-

vendum est, ne puerpera temerè *refrigescat*; sed etiam tanto magis post partum huic incommodo prospicere necesse est, ne nimis diu extra lectum, tota, supernè sudore, inferne sanguine & secundinarum liquamine *madens*, molesto refrigerii sensu percellatur: & jam in febrilia pericula, jam in spasmodum, imprimis autem torminum & flatuum, liberiolem tumultum prolatur.

Unde quidem præcipua utique cura esse debet, edito feliciter sætu, ut puerpera quantocyus in lectum bene concalescendum collocetur; Abdomen autem mantili latiore colligetur: tum ne *flatibus*, in capaci hætenus partium abdominis continentium dilatatione, libera distendendi copia relinquatur; tum hoc ipso non augeantur magis irregulares pressiones vasorum uterinorum, adeoque magis inordinato fluxui sanguinis ex utero, occasio præbeatur: His enim duplicibus, grandibus certè, imò periculosis, incommodis, per illam negligentiore abdominis deligationem exponi puerperas, testatur quotidiana experientia. Imò vero evenit subinde puerperis ex hoc neglectu, durabilis illa abdominis distensio, & in se *flatulenta*, & flatulentia: etiam imposterum facillè & varie exacerbanda velificans, ut puerperæ tales ab hujusmodi neglectiore deligatione admodum *inflatum abdomen* retineant, *einen saftichten Leib* / ut vulgo loquuntur.

Quando jam in bene concalescendum lectum deducta sæmina, bene quietam sese gerit, ubi quidem in tenerioribus etiam ipsi sermoni parcere convenit: fluit ita temperatè atque modicè sanguis, è divulsis illis, inter uterum & placentam secundinarum antea communicantibus vasis, exstillans: quem LOCHIORVM nomine notant.

Hic quidem fluxus, ubi largior procedit, imprimis autem cum majoribus spasmodis post partum durantibus, quos propterea *Nachwehen* appellant; ibi solet subinde grumos

integros adhuc formare, qui dictis ejusmodi doloribus, nempe veris spasms uterinis, ejiciuntur.

Conducit autem quolibet respectu ut puerpera quietum corporis situm servet, etiam hujus rei intuitu.

Cœterum commodè procedentia *lochta*, nihil horum damnorum post sese trahunt, aut insignium molestiarum; sin autem illa perperam succedere, aut plane intempestive, supprimi contingat, ibi habent quidem puerperæ etiam reliqua communia *uterinarum hæmorrhagiarum* citò fatiscentium incommoda, *angustias* & *anxietates* circa præcordia, & varios *spasticos* affectus intrà abdomen univèrsum; sed propemodum adhuc longè certius, quàm in nulla alia hæmorrhagia, nisi cum vulnere sensibilioris alicujus partis, *febriles exasuationes*, & uteri proinde *inflammationes*; adeoque univèrsum eo tempore statum admodum fonticum.

Quando partus in lucem est editus, non desunt quidem etiam tunc matura quædam indicia humoris, imprimis tenuioris in *mammis* penetrantis, & ex his partim ipsa pressione puerperæ, non ita parcè eliciendi. Quem quidem liquorem, *sero lactis* turbidiori similem, vulgo *Colostrum* nominant: Interim *tertio* demum, ad *quartum* inclinante die, subsequitur non solum veri atque sinceri magis, sed imprimis etiam copiosioris *lactis* proventus.

Contigit autem hic, cum ita sensibilibus *spasms*, à summis *scapulis* per axillarum & clavicularum regionem, ad *mammis* procedentibus, ut mulieres paulò magis discernendi atque differendi compotes, describere soleant sensum etiam illum tensionis circa hæc loca, per similitudinem funiculi cujusdam, per has regiones in *mammis* protensi, & subinde veluti sensibili quadam distensione seu inflatione renovati.

Hoc maxime tempore, imò verò potiùs anticipando, usus est modestæ, repetitæ, *mammarum* usque à medullio ipsarum, pressione & emulsione; ut ita meatus, & pori illa-

illarum paulò fortius dilatentur, adeoque promptior ingressus & transitus vero atque bono lacti pateat: quod aliàs, in impeditiore transitu, consistentiâ sua spissiore faciliùs subsistit, adeoque variis doloribus & periculis ansam suppeditat.

Papillarum etiam, ut semper potiùs *humidule* sint quam siccæ, rationem habere convenit; dum aliàs sub infantis suctione facilius, & ferè solenniter *fissuris* afficiuntur, cum ingenti fœminæ dolore, quoties infans vel incipit sugere, vel imprimis arreptam papillam citò deserit: nedum quando jam paulisper succrescens, gingivis morficat.

Lochiorum legitimus fluxus, vix intra 14. dies penitus cessat. Non quidem quod toto hoc tempore *sanguis* fluat, qui rariùs septimum diem transit; sed post sinceri sanguinis fluxum, *ichor*, qui magis magisque pallefcens, tandem quantitate quoque indies decrefcens, planè definit.

Solent ferè omnes puerperæ, tantò magis autem paulo durius sub partu habitæ, primis diebus *striculse* esse, quò magis autem hoc ipsis evenit, eo parciùs etiam atque levius *dormire*: nempe in tali constitutione, *febrile* quiddam fubesse omnes circumstantiæ satis commonstrant.

Tertius autem ille aut *quartus* dies, quibus solennior illa, & contentiosa veluti, *lactis* in mammas impressio contingit, exhibent tanto familiariùs *febriles* ejusmodi motus atque conatus quibus ad minimum circà corpus exterius, *borripilatoria* illa, sese exferere solet, quam proinde vulgus fœminarum expressè *Milch Schauer* appellat.

Interim habent hi horrores, modo transitus debitus lacti pateat & obtingat, nihil fontici febrilis altioris periculi in recessu. Quando vero transitus ille *impeditius* succedit, *erisypelatoes* quiddam parturire, nec insolitum est neque mirum: Ubi autem intimior *inflammatoria* febrilis dispositio concurret, ibi quidem has etiam *lacteas* horridas commo-

C

tiones

tiones, augendæ & exasperandæ isti plurimum conferre, ut experientia, ita sana ratio dicat.

Sanè vero, posteaquam huc usque commodè necessitatibus suis defuncta est puerpera, vix habet aliud quod metuat, aut quod illam malè habere possit; modo enim *lactis* promptus & facilis successus plurium dierum continuato usu ad plenum liberum com meatum pervenerit: & infans benè sanus atque vegetus affatim etiam fugat, aut si hoc non satisfaciat, puerpera ipsa emulgendo interdum modicum sibi consulat: præterea de reliquo circa res non naturales provide sese gerat: nihil sanè est quod illam ulterius, ut puerperam, affligere possit.

Si vero *animi pathematibus*, & imprimis quidem *ira-cundie*, maxime omnium vero *terrori* obnoxia fiat, non quidem tam æque in reliqua universa corporis œconomia adeo gravibus periculis exponitur: Repeto, postquam 14. aut 20. circiter dies, sub reliqua sinceriore euphoria superati sunt: at verò *mammis* inde graves molestias, imò pericula evenire posse, certum est; dum jam *erisypelaceis* inflammationibus, jam *nodosis* fistulis, *tumoribus*, & inde tandem periculosis *abscessibus* aut *ulceribus*, exponuntur.

Vulgò numerant inter puerperarum affectus, *Purpuram albam* seu *miliarem*. Cum autem inter multa millia puerperarum per totum orbem non solum longè paucissimis eveniat hic affectus; in uno autem vel altero solum certo loco, hoc familiarius facere observetur: non tam ut directus *puerperii* affectus considerari meretur; sed potius dispositio puerperæ solum, ut *occafio* quædam] facilioris invasionis hujus morbi habenda venit: tanto magis, cum hic morbus aliis etiam] & *utriusque* quidem *sexus* subjectis, communis sit: adeoque hoc intuitu, non magis directè ad *puerperii* vitia referendus, quam aliæ aliquæ *febres*, quæ corpus puerperæ solum ut magis dispositum ad læsiones subeundas, invadere possunt.

Puer-

Puerpera quæ infantem suum *lactat* ipsamet, non facile expectare debet *fluxus* sui *menstrui* reditum, nisi quidem admodum sit *plethorica*; imò neque hoc ipsum ita facile ipsi ne tum quidem obtingit. Sicubi tamen evenit, experiuntur communiter sub hoc tempore infantes lactentes, aliquid sensibilis incommodi, imò ipsa mater, in genere *borridas* quasdam sensationes, sensibiliorem quandam lassitudinis atque tensionis speciem, percipit. Cæterum sub ipso adhuc puerperii consueto tempore, nempe primis illis à puerperio septimanis aliquid horum expectare, minime omnium oportet.

Quæ vero infantem suum nutrire, vel negligunt, vel per accidentalem universaliorum morborum, aut mammarum læsionis seorsim, interventum, hoc non possunt præstare; illæ quidem debent omninò propiore quolibet tempore, reditum hunc evacuationis illius experiri: tanto certius autem hoc, quo magis *plethorica* constitutioni, & reliquæ boni sanitati, propiores sunt atque pares.

Interim illud notandum utique est; quod hujusmodi foeminae, quæ & *plethorica*, & de reliquo satis *sana* sunt, si proximo quolibet tempore à puerperio, antequam ipsis *mensēs* semel aut iterum interea redierint, mox denuò imprægnentur, communiter illo gestationis tempore incommodius habere observentur: nisi quidem artificiali aliqua, *ventilatione* ipsis mature succurratur. Et tales sanè magis quàm ullæ aliæ, opus habent hujusmodi subsidio, & experiuntur ab illo præcipuam utilitatem.

Recensuimus ita sufficienter *affectus* illos, quibus expositæ sunt puerperæ, tum necessitate quadam *consequentie* ipsius spasmi ad partum celebrandum; tum ratione *expurgationis* uteri: tum denique ratione *lactis*, & quæ propter ipsum, aut magis directâ occasione ejusdem, eveniunt incommoda aut pericula. Et divisionem proinde affectuum puerperarum commodè instruimus secundum illa genera-

nempe *spasmodum*, *lochiorum*, & *lactis*: quandoquidem *puerpera* *strictè dictæ* omnes affectus sub hac *trigâ*, tanquam sub-jectorum, objectorum, & occasionum, comprehenduntur.

Dico, puerperarum *strictè dictarum*; Quandoquidem, *abortum* & *fetum mortuum* his rebus immiscere non consul-tum ducimus, ne tractatio nostra magis quàm necesse est, excrescat.

Faciemus itaque potiùs transitum ad reddendam hujus nostræ divisionis rationem, *ætiologiam* inquam deducendam, quomodo ejusmodi summa genera accidentium puerperii, allegatis illis variis incommodis, ansam atque fomitem præ-bere possint.

SECTIO II.

Genesin atque connexionem mu-tuam affectuum puerperarum exhibens.

INnuimus in antecedentibus, quod affectus puerperarum in univèrsum, pendeant partim à *spasmis* seu doloribus ad partum spectantibus; partim ab *expurgatione lochiali*: partim denique à *lactis motu* & proventu, puerperam ce-dente. Monstrabimus hujus asserti veritatem ipsa dedu-ctione.

Tempus debitum ad legitimum partum requiri, supe-rius innuimus; simul tamen meritò excusavimus, quod de-*intempestiva* prorsus, nempe *abortiva* exclusione sermonem instituere, præsentis nostri propositi non sit: Interim facit hæc consideratio aliquatenus utique ad nostrum negotium.

Nempe evenit aliquando, ut *foemina* partui propin-qua, experiatur insultus dolorum, non solum tanquam ad partum pertinentium; sed subinde etiam verè eò respicien-tium

tium, præaturè tamen & antequam iusta plenitudo temporis, & ipsius naturæ, sibi rectè constantis, serâ atque firma intentio huic cœpto firmiter insistere cordi habeat: unde etiam placidè delimita ab impetu hoc remittit.

Si observentur circumstantiæ, sub quarum concursu hæc *immaturâ* dolorum horum concitatio sese exserere solet, in promptu statim sunt rationes, quam ob rem ita fiant. Sicut enim vulgò & communiter minimè ita fiunt; ita in illis, quibus vel sanguis sensibilibiter *abundat*, vel animi evidens adest *sensibilitas*, vel reliqua conspicua corporis & animi *debilitas*, aut qualiscunque tandem evidentior *arsætia*: imprimis autem circa ipsum tempus exacerbationum talium ita evenientium, manifesta aliqua ejusmodi sive *corporis* sive *animi* intemperantior commotio facta sit: tali inquam casu quocunque vel materiarum, ut sanguinis redundantis vitio, l. intempestivarum commotionum impetu, negotia hæc minus commode cedere, nemo mirari debuerit.

Unde quidem longa ulteriore deductione non indiget, quomodò, imo verò quam ita satis facilè, cooriri possit, præmatura ejusmodi *motuum* illorum ad partum collineantium provocatio.

Sicut autem hi motus, per exacerbationem extraordinariam cooriuntur; ita mirum non est, quod illa placata, iterum subsidant & conquiescant: quandoquidem rationi consentaneum est, quod perperam fit, si causa tollatur, non modo *utilius*. sed etiam *facilius* in ordinem naturæ convenientem redire, nisi quidem nimium jam prævaluerit, aut mox ab ipsis initiis gravissima quædam damna, non facile, aut certè non promptè corrigenda, intulerit.

Altioris indaginis est, illa circumstantia, de qua quidem nemo peritus practicus facile dubitat, quod foemina insigni *plethora* affectæ, frequentissime difficilium pariant; Ita, ut non solum gravioribus periculis subsequentiæ *hemorrhagarum*, aut *suppressionis* lochiorum; gravis *exsustationis*

sub labore partus, *februm acutarum* exardescentium, sub-
jaceant: sed revera etiam *exclusio* ipsa partus difficillime suc-
cedat, & non, nisi multiplicia illa vani nifus conamina, imo
verò tandem, vel matris vel foetus *vite periclitatiouem*, post
fese trahant.

Quid, quod paulo circumfpectiore circumstantiarum
huius incommodi animadverfione, fatis evidenter depre-
hendatur, quod incommodum illud difficultatis, circa par-
tum valde plethoricarum foeminarum, in eo quam maxime
verfetur atque confifitat, quod *juftos & fufficientes* dolores ad
partum non adipifcantur; sed fi vel maxime multis & re-
peticis hujusmodi commotionibus percellantur, hæ tamen
breves tantum fint atque transitoria, fufficientem conatnm
non exfequentes, sed in medio conatu miseram foeminam
iterum deftituentes.

Nobis quidem quam rationem allegaturi fint alii, non
æque cordi est exigere; illud vero putamus fatis dilucefce-
re, quod hæc quidem experientia confora veritas difficilias
confiftere poffit, aut conciliari, cum illa hypothefi, quæ
hemorrhagias non folum, sed *fpafmos* præcipuè, à fanguinis co-
pia, & inde arceffenda diftentione, deducit; quandoquidem
hoc quidem loco atque cafu contrarium evenire manifeflum
eft. Suffecerit noftram profiteri fententiam, quod nego-
tium hoc adfcribendum cenfeamus *tergiverfationi*, & jufto ri-
mori naturæ, quæ inter excretionem illam rei, à proprii qui-
dem fui corporis œconomia alienæ, & corpori utique fuo
inftans periculum gravis profufionis, anxia, ita trepide flu-
fluat, nec ad alacriter conitendum fatis confilii habet.

Confirmat hanc noftram fententiam circumftantia illa
evidentis plane veritatis, quod foemina tales, non tam fo-
lum *viribus* aut fatigatione ab ipfo labore exanthlato fatifcen-
tibus, deftituantur; sed velut à priori, & *animi* dejectione
laborent, & fi utique vires deficere appareant, citra ullam evi-
dentem manifeftam caufam laboris prægreffi, id ipfum con-
tingat.

No.

Nostræ certè rationi qui res hæc ita pensamus, con-
sonum illud est, quod ingens subsit periculum vehementis
profusionis sanguinis; aut si hæc non fieri debeat, necessaria,
sit *restrictio*: quæ cum in constitutione *humane rationis* tali,
qualis est ad res *trepidat*, longe absit à nudo *physico-mecha-*
nico modulo; sed potius longe pronior sit, ad *sollicitos & an-*
xios excessus, defectus aut vacillationes: cui mirum esse pot-
est, quod in rebus ita in arcto constitutis, vel *tergiversetur*
totum negotium aggredi: vel suscepto utique negotio, su-
pervenientibus insignibus difficultatibus, imo præsentio-
ribus periculis, ibi etiam nihil *medium* agitet: imprimis in
re præsentissimi periculi, *sanguinis*, tanquam immediati vitæ
instrumenti & sano sensu thesauri, instante præcipiti amis-
sione, adeoque *præsentissimo vitæ periculo* impendente.

Si itaque *propter* ejusmodi circumstantiam, nimix in-
quam sanguinis abundantix, dolores ad partum non recte
& sufficienter procedant, nihil certè mirum esse convenit;
si, inquam, volatici tantum atque breves eveniant, ad sum-
mam autem rei veluti *dubitent* eniti.

Sin autem debiti atque sufficientes dolores, sive spa-
smi ad partum, etiam à *viribus*, intempestivâ & intempe-
rante adhortatione & coactione, imprudentium & obste-
tricum & aliarum foeminarum, præmaturè exhaustis &
peffundatis, destituantur; tanto minor est ratio dubitandi,
quomodo, & qua causandi serie ejusmodi eventus emerge-
re possint.

Idem judicium esse potest de inconsiderata illa *elisione*
spiritus, & consequenter *frustratione* spasmodorum uterinorum
per abdominis repentinam flacciditatem. Sicut enim in o-
mnibus contentiosis corporis motibus, spirationis collectio
atque contentio multum roboris addit; ita, ut in ipsis et-
iam *convulsivis* motibus epilepticis, contentio talis respiratio-
nis una concurrere communiter observetur: quomodo re-
pentina cumprimis, ejusmodi elisio, fortiozem talem *spasti-*
citas

cum motum in illa ipsa regione, nempe abdominis, fientem, frustrari possit, non minus rationi obvium est, quam quomodo *detentio* ex adverso, illi subvenire valeat, ut experientia quoque testatur.

Neque dispar est ratio spasmodorum *diffundentium* sese, in artus, quando ita negligenter continentur atque coercentur circa & intra abdomen. Reverà enim *connitendo* absolvitur commodè universum hoc negotium: ut videlicet & *tergum*, & *genua*, & *manus* ipsæ atque brachia æque atque pedes, fulcris sufficientibus instructa, nisi necessario vacare, possint, adeoque *spasmos* à se quasi reprimendo, in loco & officio suo continere.

Enim verò, ubi quidem semel spasticorum motuum, suscipiendorum causæ adsunt atque rationes, hos, si uno in loco non satis promptum successum & exitum nanciscantur facile ad alia *diffundi*, magis puto etiam in vulgus notum, aut certè cognitu facile esse; quam quantamcunque demum hoc loco quærendam imò fingendam subinde, communicationem *materie*, *viarum*, *nervorum* &c. Et est utique hujus rei evidens documentum in ipso hoc negotio *partius*; siquidem ibi neque *spasmos* à *morbida* aliqua *materia* derivare, neque consequenter harum diffusionem aut communicationem per quascunque *vias*, accusare, quisquam facilè in animum induxerit.

Par ratio est *consensus* illius seu diffusionis spasticæ ad *intestina*; i. e. per *viciniam* suscepti motus, *occasione* alterius, circa illam *viciniam* necessarij, spastici impulsus. Interim tamen illud utique nemo inficias ibit, quod *occasionales* causæ in ejusmodi vicinis partibus, hærentes, sive, ut vocant *antecedentes* causæ concurrere hic etiam possint, ut tanto promptius motus quidam ad tales etiam partes adhibeatur, & quidem una *generali* intentione atque destinatione, nempe *excutiendi* seu expellendi aliquid, qualis intentio ipsi quoque *partui* fundamentum præbet.

Incom-

Incommoda reliqua, imò forte etiam pericula, quæ ab intempestiva instigatione atque impulsione parturientis ad laboriosos nifus, oriuntur, nempe *virium* amissio, sanguinis nimia *concoctio*, & consequenter *turgescitio*, adeoque tum *hemorrhagiarum*, aut ex adverso *suppressionis* harum, tum *febrim* acutarum periculum, nulla difficultate colligi possunt ex illa ipsarum harum commotionum corporis insolentiorum, sanguinis utique varie pressoria atque concussoria, efficacia. Sicut etiam tanto facilius agnoscere licet causam *defectuum* ipsius debiti spastici motus, si *irritis* ejusmodi laboribus præmaturè, & antequam istis spasticis adhuc debitus sit locus, *vires* & *alacritas* corporis in genere temerè prodiguntur atque consumuntur: imo insuper inducta intempestiva tali *sanguinis rarefactione* & expansione, justus ille metus atque formido naturæ ingruit, de qua supra, sub morali effectu plethoræ ad partum difficilem reddendum, locuti sumus.

Neque vero difficilior est ratio illius *retrocessionis* foetus, jam aliquatenus ex utero emicantis, si foemina repentina relaxatione nifus abdominis, aut immorigera totius situs corporis mutatione atque volutatione, relapsui tali foetus intra uterum, locum, imò occasionem præbet. Certe enim per se hæc rationi occurrunt, & ex consideratione etiam vel simplicissima mechanica, commodissime intelliguntur.

Excluso vero foetu, *secundina* non ita rarissime negotium faciunt; imprimis autem, quando utero *adnatæ* sentiuntur. Nempe non tam in regione & communicatione *placentæ* uterinæ cum utero; sed quam maxime, quando reliqua sua *tumicæ* substantia utero ita alicubi adnascuntur & cohærent. Attribuunt hoc foeminæ & obstetrices verisimiliter nimiam, imò quasi perpetuam sub tempore gestationis *desidia*; vel etiam frequentissimam, imò quasi perpetuam *concoctio* infimi ventris *sicca*; quando nempe prægnantes posterioribus mensibus assidue *foco culinario* operam navantes, ab hujusmodi ardore flammæ, quasi jugiter has partes exsiccante, tali calore afficiuntur.

D

Equi-

Equidem sæpius hunc affectum nuda *conjectura* obfetricum parturientibus imputari, certissimum est, quita-
men ipsa veritate rei non facilè probari possit: dari tamen
etiam casum, ubi similes connexiones *uteri & secundine*, a-
gnosci possint, imo in ipsis avulsis tandem secundinis inter-
nosci, non minus etiam est certum. Neque vero conceptu
quoque difficile est, quid tale quomodo certe fieri possit.

Secundinarum seignior *successus*, concurrentibus tamen
spasms, tanquam ad illarum excussionem tendentibus, tra-
hit post sese majores *hemorrhagias*; dum videlicet ex aliqua
parte avulsa *placenta uterina*, repetitis talibus uteri pressioni-
bus, & post pressionem iterata relaxatione, & novus influ-
xus sanguinis in vasa uterina largior, & repetitis illis pres-
sionibus spasticis, effusio etiam ejus. contingit: cum è contra,
quando secundinæ penitùs excussæ sunt, adeoque partus in
solidum absolutus est, uterus magis magisque placidè, suc-
cessivè & æqualiter, coarctetur, sive *densetur*, ut adeo effusio
illa sanguinis nullo *pressorio* impetu nitatur.

Sicut autem hac ratione, nempe per spasmos *propter* se-
cundinam non rectè procedentem repetitos, major talis pro-
fusio seu expressio sanguinis sequitur; Ita quando etiam ta-
les spasmi citra hanc justam causam secundinarum adhuc ex-
pellendarum, *αινομαλως* post partum continuantur, semper
sub illis ita fientibus, observatur utique simul evenire largior
sanguinis effusio: nempe ex antedicta illa evidente fiendi ra-
tione. Interim etiam hos dolores, ab ipsa sanguinis largiùs
in uterum effusi, & ibidem in coagulum concreti, *excussione*
necessaria, etiam exacerbari, nullum potest esse dubium. Ut
quidem adeo hac ratione unus error aliterum pariat.

Sane vero nulla eximia difficultate laborat, qualiscun-
que tandem conceptus de *hemorrhagiis post partum*, quod illæ
non solum, sed etiam quam *facile* utique evenire possint;
non tamen adeo immensa facilitate atque promptitudine u-
tique eveniunt, ut quasi quotidie, cuilibet puerperæ me-
rito

rito metuendæ veniant. Nisi enim insignis *plethora*, imò vero insignis etiam *tenuitas* floridioris, sanguinis, quin insignis insuper *commotio* ejusdem, satis evidenter concurrat, nihil omnium horum temerè metuendum esse, communissima monstrat experientia. Unde quidem nullæ sceminæ huic incommodo certius sunt expositæ, quam tales, quæ non solum sanguine *abundant*, sed etiam *floridior* sanguine v. g. à *potu vinoso* consueto, à corporis & animi habitu *choleric*; à fortiore *commotione* corporis sub partu, ad faciliorem talem effluxum dispositæ sunt.

Paulo intricatius videri posset negotium, quomodo non solum a magna sanguinis *abundantia*, sed imprimis ab eius vehementi *expansione* seu turgescentia, præmatura *cohibitio atque suppressio* debiti moderati fluxus sanguinis, fieri possit atque soleat? Quamlibet autem non æquè absolute nobis incumbat, de hac re verba facere, siquidem illa non uni huic evacuationi directe unice accidit, sed in genere aliis etiam sanguinis evacuationibus, imò vero aliorum humorum, mediante sanguine exonerationibus, pari ratione, atque modo obstat: Ita suffecerit paucis monuisse, quod repentina & copiosa irruptio etiam, æquè ac stagnatio sanguinis, à meatibus *posterioribus* ad quoscunque *anteriores*, hos *anteriores* inquam, facile ita obruere ac antrorsum *opprimere* possit, ut liber progressus à posterioribus ad & per hos anteriores, eo ipso pereat atque fatiscat.

Imò vero, neque hic negligenda aut contemnenda est illa superius tacta *rationi* certe nullatenus dubia, *moralis* difficultas, justa inquam *formido*, ac proinde *tergiversatio*, in ejusmodi constitutione abundantiae sanguinis, expressioni, imò emissioni illius indulgendi: quin potius *justitia* consilii seu *intentionis*, profuso ejus fluxui *venitendi*. Interim quod consilium tale, in genere utique bonum & rationi consentaneum, in *specie* tandem aberrat & male absolvatur, dum non solum ad eximiam *mediocritatem*, sed ad plenum usque *defe-*

Etum exit, potest quidem etiam imputari *materia & viarum* proportioni, in hujusmodi difficultate facile refragantibus: sed revera ex ipsissima *indole humane rationis*, ad res *laboriosas ac incertas*, minime *ordinate & tranquille*, sed *repide ac precipite* sese gerere consuetæ: adeoque circa hæc etiam negotia, ut pleraque omnia, quæ *directe ipsa ratione determinare* debet, *male* subinde procedentia jure meritoque deduci.

Cui quidem considerationi tanto magis suffragatur par in genere, sed tanto præsentior in specie, efficacia manifestorum animi pathematum meticulosorum, terrorisque & mœroris timidi. Utpote à quibus pariter non solum *imminutio*, sed vel plane *suppressio* hujusmodi fluxus, solennissimè consequi solevit.

Quando vero plane *supprimi* hunc fluxum contingit, quomodo ab illo nascantur varia illa reliqua *spastica* pathemata, quæ tum *doloribus*, tum *suffocationibus* inducendis, variæ apta sunt ac infamia; æque ac *febriles* variæ exæstuationes, atque turbæ *inflammatorie*: non magnoperè in præsens occupare aut morari nos decet, cum *generaliora* hæc sint, non puerperis privatim *propria*, sed etiam aliis etiam malis successibus menstruarum excretionum, proportionatè communia.

Quomodo vero coortæ *inflammationes* uterinæ, tanto præsentiora pericula creare possint, pariter quidem nulla difficultate concipiendi premi arbitramur: cum in parte, & *sensui*, & motibus *spasticis*, magis exposita, intimiorem, talem læsionem periculosius evenire, nihil mirum esse possit.

Febres autem illas, cum *inflammatione* uteri, & vehementiore commotione sanguinis, etiam seorsim *abundantis*, concurrentes, tum sponte, tum præsertim medicamentis & regimine *calidioribus*, & cum sanguinis commotione ad sudatorias excretionem impellentibus, *efflorescentias* aliquas *acres* pustulosas producere, nihil mirum esse debet. Imprimis si
tales

tales foeminae etiam alioquin *animi pathematibus*, imprimis autem iracundiae magis obnoxiae sint, & sanguinis etiam temperie, quam biliosam vocant seu *cholericam*, largius affertae, aut *erysipelaceis* efflorescentiis alias affluetae: aut *dieta acriore aromatica* utantur, & minus solita praepimis, *vinosiore*: aut aquis *expellentibus*, imprimis *fumaria*, largius tractentur. Imprimis autem, si harum rerum plures inter se concurrant.

Injecimus mentionem incommodorum etiam *durabiliorum*, à sanguinis in puerperio *vitiolis fluxibus* posthac affluentium. Ubi quidem à largiore *profusione*, debilitatio *capitis, visus, auditus*: à justo *parciore*, dolores capitis, *tinnitus & sonitus aurium, inflationes*, & *erysipelatodes* inflammationes circa caput, succedunt; varia vero in *abdomine* pathemata. Sicut autem haec omnia nulla specialissima prerogativa *puerperis*, praeter aliis circa haemorrhagias perperam habentibus foeminis ita obtingunt; ita cum ex recte, & secundum experientiam etiam *perite*, perspecta & intellecta *haemorrhagicarum translationum* atque *conatum* historia ac aetologia, harum rerum generaliores rationes facile pateant, non est utique, quod illis prolixius immoremur, aut *specialem* aliquam theoriam in ipsis offendendam aut expectandam sentiamus.

LACTIS symptomata quod attinet, frustra quidem est, ut, tam *horrorum* in genere, quam *spasmodum* in specie, lactis prouentum, *primum copiosum*, stipantium, rationem reddere speremus, nisi Experientia atque ratio *Motus tonici* recte sit perspecta: Ubi vero haec praesto est cognitio, supervacuum est in applicatione ejus multum desudare, ut in re simplici atque plana.

Neque vero etiam pericula illa *inequalis* infarctus, impeditoris *successus & exitus*, adeoque metuendae *coagulationis*, atque *successuuae corruptionis* lactis crassioris, si pori & meatus glandulosae texturae mammaram, non bene pervii sint redditi, vlla ratione conceptui umbram offundere possunt:

quandoquidem omnia simplicibus, mechanicis atque physicis, fiendi rationibus nituntur.

Quomodo autem e *lactis corruptione*, & mammarum glanduloso-vasculosa constitutione, ista corruptione una correpta, tam graua atque maxime *maligna ulcerum genera* ortum trahant, nec ipsum nostri proprie est instituti, sed pertinet ad generaliore[m] potius considerationem *Pathologiae Medico-Chirurgicae*.

Quomodo vero haec pericula *puerperis* propterea unice impendeant, quoniam illis proprie, lac in mammis peruenire contingit; & cur, immo etiam quomodo praecise ad *mammam*, *chylus sincerior* seu *lac* puerperis proveniat: non tam medicae quam Physicae Theoriae objectum, tanto minus, lucrandi temporis ergo nostrae considerationis facimus.

Suffecerit itaque haec quidem ita breuiter perlustrasse, ut inde indicatio *therapeutica* triplicis ordinis recte formari possit; *an* & *quatenus* in ordine ad reliquum *puerperium*, *quomodo* etiam; ante omnia vero, *quo ordine dignitatis* atque dependentiae, singulis, maxime vero *praecipuis* his affectibus succurri & efficaciter consuli possit.

SECTIO III.

Methodum medendi puerperarum, affectibus & remedia exponens.

QUod in praemio generatim monuimus, nullum malum feliciter extirpari, quam si ipsae *radices* succidantur, & *fundamenta* subtrahantur, illud certe merito hic repetimus, imo explicatione ad *speciales puerperarum* casus facta, confirmamus:

Mo-

Monemus itaque ante omnia, vt impedimentis illis, & *occafionibus* ulteriorum turbarum, quæ circa puerperium, & in illo evenire poffunt, tempeftive *occurratur*. Sin autem hoc non æque amplius fieri poffit, *fuccurratur* quidem ipfis utique jam fubfecutis illis malis effectibus; habendo tamen, omni modo iuftam intentionem animi, ad præcipua illa *caufarum* genera, quæ mala ac incommoda talia, & *excitare* & *fovere* intelliguntur.

Ita quidem primo loco, quod partus incommoda, attinet, cum certum fit, quod fanguinis *abundantia*, illi plurimum impedimenti afferre folet; imprimis fi gravida, foemina menftruas evacuationes *copiofas* experiri confueverit: certum & infignem ufum præftat V. Stuo *tempeftive* inftituta, ante omnia quidem *medio* geflationis tempore; quin etiam, fi reliquæ circumftantiæ fuadere uideantur, propius *circa partus tempora repetita*.

Tanto magis autem locus & ufus eft huic ventilationi, quando foemina manifeftas *anguftias* & *anxietates* durabiles, cum exæftuatione *ftiticolâ*, experitur; modo alia præfentioris *actualis* febris figna adhuc abfint, aut recentiffima adhuc occurrant.

Præterea, *alvum* foeminæ prægnanti commode, & fecundum naturam fuccedere adeo utile eft, ut etiam *plethoræ* feditionibus non parum detrahat. Interim cauendum eft ab omnibus pofitiuis *irritationibus*; fubfiftendum autem in nuda *humefatione* interne, & *emollicione* atque pura *lubricitate* externe.

Unde quidem, *leniffima* laxantia, non tamen *Aloëtica*, fed ex *Rhabarbaro*, *Manna*, imò *prunis* & *passulis*, minoribus præcipue, vulgo *Corynthiis* dictis; Omnino autem fufficiens *humefatio* cum aliquali corporis *motu*: & minime neglecta qualicunque deponendæ alvi ad defidendum commotione imo fpontaneo etiam conatu adjuta, plurimum in hoc genere poffunt & profunt.

Clyfte-

Clysteres autem, plane atque pure ut loquuntur *domestici*, v. g. è decoctis leviter *submucidis* aut *gelatinosis*, *bordei* aut *avenæ*, *carnis teneræ*, partium animalium *gelatinosarum*, imò è *lacte*; *cerevisia* *secundaria* &c. eum paucò *sacharo*, (minime vero *melle*, quod *status* & *termina* fovet) imò pro renata, non formidando *Sale communi*, ad quantitatem: dragm. j. ij. addendotamen semper largiorem quantitatem olei alicujus expressi, ditioribus *Amygdalarum dulcium*, familiariter oleo *olivarum*, vel ubi vulgo prostat (ut alicubi coriariis & lampadibus paratur) *sesami*: imò vulgari, *Rapiftri* aut *Raparum feminis*, &c. non vero *lini*: Bene tamen *butyro*, imprimis non *vancido*.

A *balneis* & *inseffibus*, in statu *plethorico* temperare sibi convenit. Ultimo vero, & partui proximo tempore, tum *ambulatio* moderata, tum *succussatio* à *vectura* non nimium rudi, non male convenit.

Quid *Hippocrates* senserit de usu *cohabitationis* maritalis, notum est. Interim certe à *ratione* nihil hic expectari potest confirmationis: ab *experientia* vero nihil fidum speraverim. Sub *gestatione* vero, imprimis ex abusu; *abortui* etiam subinde ansam suppeditari, non solum verisimile est, sed videntur etiam exempla aliqua suspitioni hujusmodi favere.

Quando jam tempus *partus*, certiore gravidæ calculo computatum, instare videtur; imprimis autem respondens vel *lune phasi*, qua *menstruis* *evacuationibus* *foemina* alias affici consuevit, vel quod primo *sensui motus* *foetus* in utero quadret: & tunc aliquando dolores ad partum sese exerant, fas est, certiore expectatione verum illorum atque ferri exitum & effectum ad ipsam exclusionem absolvendam, inde sperare. Sin autem tempus hoc nondum rectè quadret, dolores etiam magis latius per abdomen diffundantur, quam à *lumbis infimis ad sinum* antrorsum procurrere sentiantur, *rorminibus* etiam similiore sint, quam *pressionibus* sive *tensionibus* quibusdam progredientibus; ibi nihil ad

ad *impellendam* temere foeminam, & qualescunque *nifus* ipsi injungendos, opportunitatis adhuc adest.

Sicut enim etiam in vera atque matura dolorum partus emicatione, hoc idem observare quam maximè convenit, *ne parturiens* temere atque *prematurè* ad ullos labores adigatur; sed potius vel mediocri deambulationi, vel si magis ferii sint illi dolores, præcipue *durantibus* illis, tranquillitati atque *spiritus* leni retentioni acquiescere liceat: donec tandem superius laudata *orificii uteri resensio* sensibilior, connitendi laborem suadeat: Ita tantò minus hujusmodi consiliis & moliminibus indulgere convenit, quando de *verorum* partus dolorum præsentia & justa efficacia, justum adhuc est dubium.

Utile prorsus in tali constitutione est consilium, ut potius, *externa* præcipue quædam, *tonico - nervina* in usum trahantur, ad præoccupandas *intempèstivas*, vel circa ipsum uterum, commotiones spasticas.

Adhibent hoc sine obstetrices tum applicationem suaviter *aromaticorum*, ventri circa umbilicum imponendorum; tum *vaporosos* suffitus ad genitalia allabentes. v. g. *panem mellitum* (*Wesserkuchen*) ex altero latere generoso *vino*, aut *balsamo embryonum* madefactum, adperso modico *Nucis Moschatae*, *Cariophyllorum*, *Cardamomi*, momento quoque *Croci*, tepidum ventri & umbilico imponendo; (quamvis quidem, juxta suam intentionem, hoc magis ad foetum *roborandum* ita suscipere soleant) *suffitum* autem illum instituunt, per pulverem dictorum horum *aromatum vino* dilutum, & ita fervido lateri coctili aut filici affusum, directa quoquo modo *vaporis* exhalatione, ad genitalia gravidæ.

Enim vero adeo fervidus seu *bene calidus* vapor, *calore* suo demulcet symptomatricos *spasticos* motus; tanto magis autem *odor* ille penetrans suavis, adeoque uti vulgo loquuntur, *nervine* efficaciam compos.

Habere certè hujusmodi simplices etiam remediorum

E formu-

formulas, efficaciam in his casibus non contemnendam, iuculento atque vero testimonio confirmat ipsa experientia.

Internis certè nisi admodum *temperatis* hic longe minor est verus atque evidens usus, imprimis *calidioribus* aromaticis. Præstat aquis *minus spirituosis*, aut spirituosius quidem moderatissimè, uti, ad drachmas magis, quam uncias. Conveniunt etiam in tali casu aromata, non nisi leviter ad mordendum adhibita, v. g. momentum *caryophylli* aromatici, *cardamomi*, in specie *Coffi veri*; imò vero radícula illa nostras, majore quam pro mole sua laude digna, *Pimpinelle albe umbellifera* seu *saxifraga*; & quidem imprimis *minoris*, utpote quæ aromatica prorsus sua penetrantia, *majorem*, nisi quidem qualitate, certè quantitate superare apparet.

Sin autem etiam sub justiore partus tempore, *nothi* dolores simul urgeant, succurritur illis ipsis satis commodè per hæc eadem, & imprimis dictam hanc *radiculam*; Habet autem etiam non contemnendum usum illud *foeminarum*, alicubi quidem solennissimum, & ut vulgo loquuntur juratum, remedium, frustulum *panis melliti* Noribergensis, generosiori cuidam *vino* intinctum, comestum, assumpto desuper exiguo hujus vini haustulo.

Facit quidem etiam ad *nothos* hos, nempe torminoso flatulentos dolores, minuendos æque, atque veros promovendos, Aqua Pulegii; Interim nec illam ipsam nimis largiter ingurgitare convenit, cum reverà etiam sit admodum tenuium partium, sive, ut vulgo loquuntur, *calida*, imprimis quò melior est.

Quantò magis autem serio insistentes dolores legitimi, partus successum atque eventum pollicentur, eo magis convenit *nisuum* sæpe nominatorum parturientis, prudentem rationem habere. Dictum autem est superius, quod illi maximè absolvantur, spiritus retentione, sub vigente spaf-
[mo]

mo seu vero quolibet ita dicto dolore ad partum. Sicubi vero spasmus talis singulatim *diucius* infistat, quam cohibere spiritum valeat fœmina parturiens, cavendum ipsi est, ne uno impetū detentum ita halitum elidat: siquidem tali actu veri doloris non solum *efficacia*, sed subinde etiam, quantuscunque jam modo inchoatus aut perpetratus *efficitus*, notabile detrimentum inde patitur: ita, ut tum stricture illa uteri, quæ alias ab uno validiore spasmō ad subsequentes non plane iterum dissolvitur, improvida hac respirationis elisione, revera iterum magis flaccescat: tum *intrusio* fœtus in orificium uteri jam fortius expansum, denudò retrocedat: adeoque novis demum doloribus opus sit, ut solum in hunc statum *resituantur* omnia, è quo ulterius procedere, & ad ipsum optatum exitum absolvendum efficaciter concurrere potuissent, nisi pristinus ille effectus prorsus in irritum relapsus esset. Damnavimus hoc nomine jam superius, intemptivos & inutiles parturientis *ejulatus* atque quiritationes: *clamoris* autem contentiosi, sub ultima fœtus eruptione aliquando non compescendi, dispar est ratio; quandoquidem ille, quoties cum pressione, quadam abdominis complicatur, nisi quidem aliquid prodesset ad excussionem ex utero, certè nihil etiam eximè nocet.

Supra jam monitum est, quod nihil serio de propinquo-
re exitu fœtus sperare sit integrum, quamdiu adhuc deest insignis atque sufficiens *referatio orificii uteri*, cum fœtus firma in illud *intrusione*: *Daß das Kind recht zur Geburt eingetreten.* Hoc demum tempore habent usum *remedia ad promovendum partum idonea*. Horum *triplex* est differentia. Alia enim magis *remotè* & generaliter concurrunt & conducunt, *carminativo* effectū, vel ad summum *nervino*; alia vegetiore partim *nervino*, partim sanguinem simul *agitante* attenuante & *turfefaciēte*: Alia denique magis *specificā* efficacia,

Primi generis sunt ferè v̄æ illæ stillaticæ, Meliffæ, Pulegii, Liliorum alborum &c. quibus non sine ratione, imo etiam spirituosiss atque aromaticis quibusdam, B. Ludovici nullam aliam in promovendo partu quam analepticam atque carminativonervinam efficaciam attribuit: Imo ipsum omnino Crocum, adhuc eodem nomine censet.

Secundi generis, sunt illa, quæ alias etiam ad menses movendos efficaciter adhibentur, imprimis Myrrha, Succinum, Elixiria uterina, oleis destillatis aromaticis imbuta: imò ipse Crocus, certe penetrante subtilitate sanguinem turgesfaciente, evidenter præditus: Borax denique, certè eadem efficacia non adeo obscura instructa.

Tertii generis, varia quidem hinc inde allegantur, sed uti quidem communiter fieri solet cum specificis, non paris ubique fidei. Rectissime vero aliis in hoc genere præfertur Hepar Anguille, ad scrup. j. vel circiter exhibendum. Quo quidem modo illud agat, ut irritum est, & ab omni spe belli exitus alienum, disquirere; ita propterea hoc illi tribuere, quia serpentum profapix accedere videatur anguilla, tanto certe frigidius est, quia quidquam è serpentibus desumptum, simile quid præstare, experientia nondum testatum fecit. Quamvis enim antiqua traditio prægnantibus à serpentum contactu, aut transgressu, etiam super mortuum serpentem, pericula denuntiet; Laborat illud primò adhuc defectu experientie, adeoque veritatis suffragio; & loquuntur insuper, qui hanc rem ita tradunt, non tam de partu, quam abortu & morte fetus inde metuendis: quantumlibet defectus experientie etiam suspicionem faciat, quod hæc traditio, magis ab intempestivo quodam physiologo biblico conficta sit, quam à perito aliquo consignata: certissimè verò nitatur ejusdem surfuris Aristorelico-Pliniani, & sequacium illorum, fabulis, de venenositate serpentum roii illorum substantie ingenita.

Sicut autem ex his rebus, primæ quidem, cum minimo omnium periculo aut damno exhiberi possunt; ita longè aliter

liter comparatum est cum illis *medii* seu secundi generis concretis, utpote quibus provide atque parce uti convenit, ut vel plane abstinuisse præstet reliquis, præter *borracem* & *Crocum*, moderata tamen quantitate etiam usurpanda: Ita *veritium* illud, aut quicquid illi par haberi meretur, non exhiberi convenit, nisi præsentem jam tali dispositione, quæ nihil nisi ultimos excludendi impulsus exspectare videatur.

Enimverò in hoc etiam casu *promovendi partus*, maximè certè respici meretur circumstantia illa, in universa medendi methodo non solum primam, sed omnino seriam atque prudentem considerationem, meritissimo jure poscens, AN etiam *medicamentis opus sit?* adeoque *verus* aliquis, & neque *fallax* usus? Certe enim, si natura de reliquo sibi constet, adeoque omnia spontè ad votum succedere posse, sperare liceat, non illud solum considerari debet, quod medicamentorum usus, rebus ita constitutis, *supervacuis* futurus sit, sed quod etiam fieri *possit*, imò vel ex ipsa hygothesi fieri *neesse sit*, ut si jam *sponte* tantum motus ac energiæ habeat natura, quantum sufficiat, quicquid huic *stimuli* adhuc addatur, nimius inde sequi deberet affectus.

Huic quidem, ad minimum rationi atque speculationi, superstructa est illa antiquiorum admonitio, ne usus illorum, quæ *partum pellere* dicuntur, post editum jam uniuersum partum ulterius continuetur; alias enim periculum esse, ne, siquidem nihil amplius præsto sit, ipse tandem *uterus* expellatur. Quamvis autem reliquorum quidem magis *specificæ* efficacix nomine laudatorum, ad hunc diem, nulla adhuc tam *violenta* efficacia comparuerit, quæ metum huic justum reddere posset: certe tamen ad minimum de aliqua *superfluitatis* incitatione, non adeo injustam esse subsumptionem, atque suspicionem, si usquam vera sit quæ talibus rebus describitur energia, rationi consentaneum est. Valet hoc autem tanto magis de illis *medii* generis, *sanguinem* euidenter, *commoventibus*; a quorum non necessario, aut alias nimio usu,

hemorrhagias metuendas esse, non magis ratio, quam experientia dicitur.

Subsidium illud commodioris *situs* puerperæ, imprimis ut sub ipsa regione *ossis sacri* fulcro aliquo sustentetur proxima partui foemina, non parum solatii atque levaminis ipsi allaturum, non pro nihilo habendum est; cum varia majoris momenti, ex incommodis eiusmodi, non solum *fatigationes*, sed etiam *dolores* post se trahentibus, pullulare subinde tolerant symptomata, etiam per plures dies post partum puerperam fatigantia.

Quando multo ante succedentem denique partum, ruptis secundinis, *vagina* uteri tandem *siccescit*, non parum incommodi illud etiam affert ultimo partus successui; unde quidem *oleo*, vel *olivæ* simpliciter, vel *amygdalarum dulcium*, & melius hoc quidem, vel *chamemelino*, singulis tamen moderatissime, uti licet.

Obstetricibus, imprimis cum pleræque stupidissimæ sint, serio interdendum est, ne sub nomine *adjuvandi*, enchiridibus brutarum prorsus manuum, vel *infanti*, vel *matri*, periculum aut damnum inferant. Quare quid misellæ puerperæ subinde inclamant, manualementem, *violentiam*, *Ihr habet mir jeso so schrecklich wehe gethan; Ihr habet mich so schmerzlich anegriffen*: quod stolidæ illæ excusant, *Nein/ nein/ ich helffe euch* &c. Sed revera communissime ut imperitissima, ita periculosa sunt hæc illarum tentamina, & retinent! frequentissime ad minimum per plures dies post partum, puerperæ, graviores dolores in ipso illo loco: ubi exquisitum illum doloris sensum ab hujusmodi carnificina per ceperant.

Edito partu, quantocyus in lectum concalescentem transferatur puerpera; vel ablatis, prompte tamen atque dextre, *malidis* indumentis: vel per interposita sicca calefacta, tantisper semotis. Imo præstat, si conclave sit calidum, cito rejectis omnibus indumentis, in calidum lectum, *nudam* inscendere, & sub illo, novo indusio, *calido* pariter, indui puer-

puerperam; quam diu extra lectum non solum exeundo pristino, sed desiccando corpori, & nouo indusio recipiendo, refrigerationibus sese exponere.

Antè omnia verò, quam maxime maturè, post editum uniuersum cum secundinis partum, *ligetar* decenter, *fascia lata* aut bene *mundo mantili* probe concalesceto, *venter* puerperæ; ne temere *staccescens*, non solum in præsens repentinis atque diffusis *flatulentis* distensionibus pateat, sed etiam gravibus pathematibus, *imposterum* quoque duraturis, aut uolenter repullulaturis, hac ratione via sternatur. Non enim æque facile iterum subsident, ut consurrexerunt flatulentæ distensiones. Interim, cum ad torminosos dolores, post partum subeundos atque fovendos; tum ad *hemorrhagiam* uerinam augendam, efficax est hæc circumstantia neglectæ debitæ *stricturae* abdominis.

Hemorrhagia uero uteri post partum, sicut *alter* est *fons* variorum grauiorum symptomatum; Ita ad se utique vocat iustam considerationem atque peritam tractationem.

Quis dabit nobis remedium, quo fluxus quidem *naturalis* atque *debitus*, non solum non turbetur, sed *certo* potius atque *secure*, promoveatur, ubi *insufficienter* procedit; omnem autem nimum *eiusdem impetum*, non solum certissime, sed *pro* sus præsentissime, cohibeat & ad decentem mediocritatem restituat? Et hoc non vana forte promissione, sed quotidianis experimentis. Cum uero postulatum hoc non ubique ratum esse possit, & eo ipso non ubique fidem inueniat, quod quidem (si patientes excipias, & ueritatis atque proximi amorem) neminis hominum magnopere interest: insistentium propterea erit aliis, vulgo commendatis.

Illud uero certissimum est, quod multa felicitas Medico contingat, quando ille ad patientes uocatus, quibus jam de reliquo, sponte non incommodè affectus succedunt, oblatis his illis, non magnæ reliquæ efficacæ medicamentis, ne saltem aliquid turbarum exhibeant, credatur felicem illum successum & exitum, sua maxime scientia & arte præstitisse;
cum

cum, si hæc illud præstare debuissent, omnia pejora expectanda fuissent. At vero, si reuera in re ancipiti, illis ipsis artibus, quibus in dispari casu omnia effecisse visus est, non solum nihil obtineat, sed vel graviores hinc commotiones sequantur, ibi certe variæ sæpsi est locus.

Sane maximum numerum puerperarum plebejarum, & alias corpore atque animo vegetiore, *sine ullis remediis*, rectissime in hoc genere habere, testis utique est quotidiana experientia.

Imo vero etiam harum quibusdam, fluxum lochiorum excessu, aliis defectu, & exquisito quoque, nempe præpropere suppressione, peccare; illas autem interim, *patientia & quiete*, nihil gravius aut certe nihil simile, uti mox dicendæ, experiri, quotiana testatur experientia.

At vero, quæ vel præposteris suis & mulierum consiliis, vel plane Medicis atque medicamentis, præposterè, utuntur, illas longè frequentius, vel mox à partu in nimias hæmorrhagias, vel in suppressionem deuitarum illarum, & hinc reeta in febriles, hysterico-hypochondriaco spasticos, anxios & suffocativos cardialgicos, vomibundos, choleriodes, affectus prolabi, confidenter provocamus ad quotidianam experientiam.

Hæmorrhagias certe post partum, *urgentes*, cum nullo alio remedio vulgo noto & usitato sistere liceat, quam *adstringentibus & opiatis*; nihil aliud hic præscribi potest, quam summa *circumspectio* atque *cautio*, ne quid nimium; sed tamen nihil quoque justo minus fiat.

Sunt profectò excusationes maximi ponderis: *urget affectus*; Aliud *remedium*, quo, urgenti inquam affectui, præsentaneè resisti possit, *non est cognitum*: hoc, licet alia incommoda, *suppressionem* plenariam, *febrem acutam*, *uteri inflammationem*, sæpius post sese trahat, omnia tamen illa longiores *inducias* ferunt, & consiliis atque auxiliis maturioribus locum concedunt: cum hæmorrhagia talis, vel præcipitem mortem mineur. Sane quam diu *nihil aliud* suppetit, melioris consilii & auxilii, acquiescere his necesse est.

Vide-

Viderit itaque Medicus, quid formulis illis & remediis *adstringentibus ac anodynis*, efficacis usus reportet, in profusionibus *repentinis*.

Meminerit autem omnem reliquam curam *ligationis abdominis, caloris, dolorum torminosorum & spasticorum placidæ lenitionis*; imò *externorum* etiam *adminiculorum per ligaturas*, imò *per amuletica* aut *sympathetica*, concursum non negligere: Usus autem *adstringentium*, non præter modum continuare: *discussionibus* etiam, tam *inflammationis*, quam *febrilis moliminis*, tempestive simul operam navare. Possumus etiam *rudiorum adstringentium loco*, *Spécies de Hyacintho, Trochiscos de Carabe*, laudare.

Interim præstantissimum utique ducimus *sine omni adstrictione* subinde etiam *intra paucà momenta, profluvii illius* et *nimum* compefcere; remanente iusto atque debito, *libero* plane convenientis fluxus successu. Præstant hoc *pilule Dn. D. Præsidis*, & quidem in *debilissimis* quibuslibet æque ac *tenerimis puerperis*; quæ *pilulæ* licet non sint ipsæ *Becheriana*; & hæc propter fortiorem energiam in humores, *teneris ac debilibus* non temerè exhibendæ sint: tamen hæc ipsæ quoque, modo *veræ*, robustioribus non malè cedunt, vel hoc ipso etiam, effectu: Interim quaslibet *confarcinationes*, vel *acrium*, vel ad tales imprimis *fonticos affectus*, quasi *fatuorum*, ingredientium, pro *pilulis Becherianis* non solum venditare, sed vendere quoque, hodiernis quidem moribus conveniens est; at in *fonticis* imò *dubiis casibus*, temerariis tentaminibus circa ejusmodi inconditas traditiones indulgere, ad legem *Aquilianam* profectò, imò *Cornelianam* pertinet.

Circumferuntur nempè variæ tales formulæ alibi consuetæ, ut habetur apud *Frauentorfferum*, in tabula, si *verè Smaragdina* esset, certe talibus usibus indigna; alibi truncatæ, ab illis *succis expressis*, ad finem usque desumptæ: aliæ, nempè pulchrè ad genium seculi, etiam *opio*, aut *Tberiacæ*, locupletatæ. Quamvis autem Apothecariorum servulis, non examinare, sed interere formulas medicamentorum præscri-

ptas affluetis, vetari non possit, ut *signatura* credant; nec etiam moribus hodiernis temerè eripi possit, quod non omnes Medici *judicare* prius, quam *decernere* consueverint: rectetamen illud atque commode fieri, nemo puto dixerit. Nam è rebus, quæ ad *eximios peculiare effectus*, nullam credibilem efficaciam habeant *sigillatim*, inter se *coacervatis*, multo meliorem effectum sperare, est certe contra prima principia *arithmetico-geometrica*, nempe, quod si *equalibus addantur equalia*, etiam quæ inde exeunt esse equalia: & valet hujus formulæ intuitu, modo non pluribus, illud antiquioris tabulæ Smaragdinæ, quod est superius, est sicut illud, quod est inferius &c. sane vero verissimè Hippocrates: *Ignorantia malus thesaurus.*

Inter reliqua vero, tam nimio fluxui; quam pathematibus illis spasticis circa abdomen, mitigandis, proficua remedia, locum suum tuetur etiam *Millefolium*, sive *Essentiæ* formæ aliis maritatum, sive *infusi*, instar herbæ Thee, formula.

Ad promovendum autem solum, sine insigni stimulatione non adeo etiam sponte irregularem fluxum, conducit usus *Croci* in cibis, licet *parcissime* ad levem jusculorum *incturam*, usurpati. Sicut *Essentiam Croci* saturatiorem, etiam intra paucissimas *guttas* pro una dosi, aliis immiscere, revera satius est, quam maiore copia illo uti. Ita si quis v. g. miscuerit *Essentiæ Scordii*, per *Spiritum vini* rectificatissimum paratæ, bene saturatæ, *Essentiæ Millefolii* similiter paratæ, ana drach. i. *Essentiæ Radicis Pimpinellæ alba*, licet cum paulo debiliore paratæ, drach. ij: *Essentiæ Croci* scrup. j. ille poterit hoc remedio, bis vel ter per diem sumpto, gutt. 35. huic scopo, *lobbia placidè* & commode conservandi, æque satisfacere, quam operosis etiam aut speciosis aliis. Sin autem plane *paucitas* aliqua stimulo indigere videatur, addita bene saturatæ *Essentiæ Myrrhæ* drach. j, huic etiam rei prospexerit. Exhibendo sub noctem semper dosin moderatam, ex ocul. Cancr. vel Matr. perlar. preparatæ, partibus iij, *Antim. diaphor.* boni partibus ij.

Illis, qui alias etiam non infuetæ sunt, cum reliqua tolerabiliter se habent, imprimis autem post quartum diem, in juscu-

jusculis, esculentorum brodiis, imo bibendum *modicum* *vi* ni concedere, sed generosi, aut exotici, non solum *periculo* caret, sed sæpe etiam *usu* non caret. In *abundantia* fluxus, loco aliorum *absorbentium*, *Corallia* conducunt: quorum etiam *Tinctura* non plane contemnendæ sunt, vel vulgatiores quoque.

Si *lochia* bene procedunt, nihil puerperæ gravissimum metuendum restat, nisi per *accidentalem* vehementem perturbationem corporis aut animi aliquid graviter turbetur.

Quando vero etiam *suppressa* maturius sunt *lochia*, nihil magis cavendum est, quam ne illorum *revocationi* opera impendatur per *calidiora* copiosius ingesta. Vel enim *obstruclio* augetur, & *febres*, inter gravia in ventre pathemata, provocantur; vel cum *hemorrhagiis* etiam profluentibus, *inflammatio* uteri & *febres* conspirant.

Præstat potius *orgasmos temperare* & cohibere: *absorbentibus*, *diapnoicis*, & adversus minantes aliquos ætuosos impetus, etiam *Nitratis*. *Nitrum*, enim, a *vj.* ad *viii gr.* pro una dosi, *innoxium* hic esse, fidem facit quotidiana experientia; imo vero *utile*, quin *efficax*. Jungatur aliquid *Cinnabaris*.

In tali casu, *quiete* etiam *corporis* & *animi* majore opus est & *tranquillitate*; & *transpirationis* æqualis curiosiore observatione: cavendo tamen a *regimine sudorifero*, & omnibus fortioribus *commotionibus*.

Illa, quæ in omnium ore atque manibus sunt, *adstringentia*, *opiata*, *castorina nervina* & *carminativa*, imo *uterina*, hic recantare, operæ non fuerit pretium. Nobis sufficit illud unum monuisse quod, quicquid de reliqua illorum efficacia expectare licet, illud sub antedictis *cautelis* experiri necesse fit: nisi quidem incommoda, imo pericula prædicta, temere tentare animus gestiat.

Febres puerperarum, quamvis illud quidem omnibus convenit, si recte tractari debeant, certe cum circumspectissima *lenitate* tractandæ sunt; abstinendo ab omnibus *irritationibus* ad quaslibet *evacuationes*, imprimis autem *per album*. Insistendo vero *temperatis temperantibus*, & *regimini* nude at-

que simpliciter *diapnoico* magis, quam *sudatorio*. *Absorbentia* cum *diapnoicis*, *alexipharmacis* temperatissimis subordinanda, non contemnuntur; abstinendo tamen a dosibus majoribus longe plus autem hoc intuitu tribuatur *cancrinis* & *ostracodermatis*, quam illis *philosophice calcinatis*, nisi prius titulum suum probaverint contra experientiam, quæ illis calculum denegat præ alteris illis. Quando vero *cholericodes diarrhœa* puerperas invadit, ibi quidem etiam largissime conveniunt *absorbentia* hæc laudata, potius tamen *successiva repetita*, quam *simultanea copiosa*, oblatione. In his diarrhœis adstrictione, uti, nemini authores sumus; nec vero etiam *ssistentibus*, nisi materiæ *mitigatio* efficaciter concurrat. *Radix Gentiane rubre* seu *veræ*, *mitigata* sollicitè materia, plus hic potest, quam alia. Qui tamen etiam has diarrhœas *Rhabbaro*, conjunctis & interpositis *absorbentibus* atque *temperantibus*, subjunctis autem *anodynis* correctis, aut simpliciter *Theriaca* dimidiata, dosi, commode tractare noverit, faciet etiam ipse certe operæ pretium: non neglectis imprimis etiam *externis* circa abdomen, *fomentis* & *resolventibus* & *tonicis*: *internis* autem affatim *diluentibus*, modo ita instructis, ut puerperæ tolerabilia sint.

Quando vero hoc malum inflammationem graviolem tenuiorum intestinorum, jam profundius & pertinacius induxit, ibi quidem omnis spes in arcto posita, & malum communiter funestum est.

Multum autem ad hoc malum excitandum, facit *iracundia*; aliquid etiam, licet aliquanto minus, abusus *dulcium* cum occasione *fermentescendi* per cerevisarios potus: imò ipsa *cerevisia sacculenta*, aut nimis adhuc *fermentans*. Quid hic posset *Ipecacuanha*, experientiæ commendandum est; simul tamen memoriæ committendum, quod nec illa securius operari laudetur, quam *per initia* adhuc horum malorum: quod etiam propter invalescentes magis magisque *inflammationes*, rationi consentaneum est.

Transimus tandem ad *Lactis vitia*. Iterum vero hic monemus

nemus quod perpetuo præstet occasiones præcavere, imò præscindere.

Præcipuè itaque præfiterit cavissè, ne stasi & coagulationi lactis temere locus relinquatur; unde quidem primo omnium succurrendum est puerperæ, sub *primo lactis proventu*; per illam superiùs commendatam *intimiolem*, & prudenter moderatam mammarum *expressionem*; imprimis prius, quam *infarctus* à repentina irruptione prævaluerit. Reverà vero conducit universo huic negotio, applicatio infantis fatis tempestiva, imprimis si *vegetus* ille sit: nec enim *colostrum* illi nocet, sed potius ad expurgationem *Meconii* conducit.

Quandocunque vero; uti vulgo quidem fit, ad *factam* demum stasim, imò *coagulationem*, vocatur Medicus, ibi quidem maturè certè navanda est opera, ut *discussio* vera atque solida locum inveniat; cui usui, *internè* quidem *absorbentia*, in specie *Crystallus montana* quoque, conferunt: sicut etiam, *diuretica* lenia, *Vincetoxicum*, & pluribus nominibus laudata *Pimpinella* illa *alba*: *Externè* verò, Emplastra temperatissima *camphorata*, & bona portione Seminis *Petroselini* atque *Coriandri*, imbuenda; Emplastrum *Diaphoreticum* Myrsinichti, & ejusdem de *Spermate Ceti*: sicut etiam usum *Spermatis Ceti* internum, cui in eo spes aliqua fuerit, non dissuademus.

Quando verò *discussioni* non obedire appareat malum, quale quid imprimis contingit, si paulò *serius* advocetur Medicus maturacioni tempestivè dandus est locus, eaque sufficienter facta, nisi sponte erumpere possit, *aperiendus* est abscessus. Licet vero ad chirurgiam hæc pertineant, placet tamen paucissimis monere, quod Emplastrum *maturativum*, sufficiat, circumferentiæ tantum quàm dolet, imposuisse: latius autem circa, antedicta solum mitissima; Apertus abscessus, *diachylo simplici*, vel *hujus* & *Diach. c. Gym. ana*, addita *Camphora*, penitus emolliendus: quò magis magisque facto, à *Digestivis* cessandum, & vel solo *liquamine Myrrhe* res absolvenda: vel, si hoc minus sufficiat, *Essentia Myrrhe & Succini* (sine alkali parata) & modico *spiritu Terebinthina*: *Quam Mixturam* commendamus.

Si hæc medicamenta dextrè adhibeantur, nulla difficultas concipienda est, circa *locum* hos abscessus *aperiendi*, & nihil ibi tribuendum loco decliviori: quæ certè imaginatio si chirurgum induxerit, ut non in media *mollitie* abscessus *apertionem* instituat, sed circa *duriorem* adhuc ejus ambitum, gravissimo periculo certam anam præbet.

Si periculo careat puerperam *Laxare*, aut medicamentum ad manus sit, quod sine periculo hoc efficiat, conducit omnino *Laxatio*, etiam ad discussionem æque feliciorē, atq; reliquam curationem.

In leviori ejusmodi collectione, qualis interdum à *terrore* contingit, unde minores tantum *nodi* oriuntur, imprimis magis sub ipsa *superficie* cutis, prodest etiam *Sal volatile Urrinosum*, cum Emplastro de *Spermate Ceti* subactum: modo maturè adhibeatur. Imo in *densitate* nondum exacte indurata, non caret effectu aliquo, imprimis in sensibilibioribus frictio mediocris, cum *excusia setacea* non valde aspera; in sensibilibioribus non contemnenda etiam est *pellis mustela*, confricando & imponendo.

Erysipolaccis inflammationibus, ut aliarum partium, ita *mammarum* etiam, abunde & præsentaneè satisfacit *Sp. Vin. camph.* sed *rectificatissimus*: *aqueosior* enim, ut alias in subjectis atque locis sensibilibioribus, ita hic etiam, certe non exigua incommoda, imo pericula parturit: sicut etiam *unguinosis* tenacibus temere inquinatus, *balsamo Peruviano*, & similibus: *Essentia Croci* vero, quamvis moderate, utilius sociari potest.

Ad ipsos *horrores* primos provenientis lactis directè medicamentis uti, nec opus est, nec usus: sufficit circumscriptum regimen *diapnoicum*, & promotio illa perspirabilitatis *mammarum*.

Quibus autem plane *discutiendum* est lac, illis *Petroselinum*, nec non *Semen* eius & *Coriandri*, quoquo modo *Mammis* largius applicitum, confert: imprimis ubi per ipsa initia discussio ejus desideratur, antequam eruperit: quo tempore etiam strictior *mammarum* compressio conducit. Si hoc
tem-

tempore securior aliqua *laxandi* ratio suppetat, commode adhibetur.

Sin autem jam post liberio rem ejus successum, infantibus *lactatis* forte intermorientibus, aut *ablaclatis*, lac iterum *dissipandum* sit, nulla securiore ratione fieri hoc potest, quam si vel alius infans *rarius* & *parcius* indies sugere permittatur, semper *minus minusque* suppeditando; vel fugendo per *vitrum* huic negotio aptatum, idem agatur: vel *emulgendo* solum, *rarius* & *parcius*: Ita vix non intra tertium aut quartum diem sponte evanescit.

De *papillis*, non est quod multa dicantur, licet pathemata illarum certe vehementer angendis puerperis paria sint. *Oleum ovorum*, sicut & *liquamen gemmarum populi*, loco alius pinguedinis, cum hoc oleo subactum; butyrum cum *floribus Calendule* recentibus, in linimenti formam redactum: florum horum æque, ac *verbasci maris* florum, liquor in cilibano paratus, solatium afferunt. *Suctio* verò matura, antequam lac crassius irrumpat, imò stagnatione spiffescat, plurimum hic conducit. Sicut etiam vel antè partum, vel certè postea, jugiter papillis imposita cupula è nuda *cera flava* adeoq; impositio, ne pupillæ *siccescant*. Imo verò tempestivum tentamen, imprimis in primiparis, ut *emulsioni* papillas assuefaciant, non parvi usus est. Quæ vero compressionibus vestium atque thoracum strictissimis papillas has à juventute in conformatione sua justa occuparunt, illis quoquo modo pejus post hac evenire, nihil mirum est.

Sufficere hæc possunt pro scopo nostro hæctenus tractato pro cujus felicia secutione, Deo T. O. M. iterum iterumque supplices gratias exhibemus.

S. D. G.

Sic juvat ex voto studiorum tangere metam
Ingeniique sui fructus decerpere gratos
Quod COBERE Tibi cedat *feliciter* opto!
Ascendas igitur *cathedram*, nec *premia* spernas
Quæ Tibi jam promte, *Medicorum gratia* confert
Det *Deus* agrotis valeas afferre *Salutem*.

De honoribus bene meritis ita gratulatur
SAMUEL STRYKIUS, I C.
Reg. M. Bor. Consiliarius Int. & Fac.
Jur. Ordinarius.

a) **S**I qua debetur patribus *verendis*
Qui semel vitam dederant caducam,
Non minor certe **MEDICO FIDELI**
Gratia habetur.
Deserit nunquam *medicina* vitam
Quæ data est, verum propè jam *ruentem*
Sæpe naturam reficit *medendo,*
Restituitque.
Doctus hac cum sis teneris ab annis,
Atque *opus clarum* probet hoc *magistrum,*
Hos geris digno titulos honore,
DOCTE KOBERE.

a) *Francisc. Hefius.*

Ita aggratulatur Nob. Dno. Candid.
D. JOHANNES ADAMUS Hoffsteter
Med. Pract. Hallens.

FRIDRICIANA tuo nunc confert *digna brabeia*
Sudori, studiis dignus en instat honos.
Omnia quo Tibi succedant è corde, precabor,
Queis votis *Numen* pondus inesse velit!

In honorem Nobilissimi Dni, Candidati
scribebat.
DANIEL FRIDERICUS HASPERGEN D.

Ūa 5316 ⁵/_—

ULB Halle
001 500 139

3




sb

110A







DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
PUERPERARUM
AFFECTIBUS,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORA-
TUS BRANDENBURGENSIS HEREDE,
&c. &c.

CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,

Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris
sui, omni observantia cultu prosequendi,
PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia
DOCTORALIA rite & legitime capeffendi,
Ad Mart. Anno M. D. CC IV. Horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
publicæ disquisitioni exponet,

JOACHIMUS COBERUS.

Pritzwalcensis Marchicus:

HALÆ MAGDEB. Literis CHR. HENCKELII Acad. Typogr.